

esset amentia hanc propositionem: „Ego sum ante Abraham natum“<sup>45</sup> per physicam aliquam communicationem interpretari, cum humana natura, quae fuit assumpta ex semine Abrahae, nequaquam fuerit ante Abraham natum? Quare teneamus hoc certo: Nomina significantia proprietates naturarum nunquam physice confundi, sed in concreto alterius naturae proprietatem de toto subiecto predicari, vt extet illustre testimonium contra furores Nestorij. Nomina vero significantia officium sacerdotij aut regni pertinent ad vtramque naturam et ratio euidens est, quia mediatorem et saluatorem oportebat Deum esse et hominem. Ideo in eo opere quaelibet natura suas habet effectiones sicut quando dico: „Aristides est iustus“, comprehendo totum subiectum. Nam rationi recta iudicanti et voluntati eligenti obtemperat locomotiva corporis: Ita verae et receptae sunt hae propositiones: „Christus est mediator, saluator, rex, sacerdos secundum vtramque naturam.“ Atque hoc est, quod dixit Gregorius, ignorantiam distinctionis inter nomina decipere haereticos.<sup>46</sup> Constanter igitur [15:] physicam illam communicationem proprietatum in naturis explodimus. Etsi autem tales valde vociferantur, nos similes Nestorio facere distractiones naturarum, tamen omnes sani vident, quam futulis sit haec cauillatio non propterea homo diuiditur, etsi aio animam non fieri ebriam nec eam dormire turbata aut sopita facultate cerebri. Nec etiam stella Iouis a suo orbe distrahitur, etsi scimus ipsum corpus stellae non per vniuersum ordinem esse expansum, ita vere vnitus est λόγος naturae humanae etiam tunc, cum corpus physica locatione in aluo virginis non extra formatur, salit et viuit. Si qui etiam existimant stante tali distinctione nullum futurum discrimen inter has propositiones: „Patiente Iohanne Baptista Deus patitur“ et hanc: „Patiente Christo Deus patitur“, hi sciant magnum esse discrimen. Sanctorum passiones vel cruciatus pertinent ad Deum per metaphoram. Relatio enim videlicet contemptus ad Deum propagatur sicut quando violantur legati Romanae Reipublicae Senatus Romanus contumelia affectus esse iudicatur, etsi consules et alij senatores non acceperunt plagas. Sed vbi loquimur de Christo, significamus ipsam personam, quae natura Deus est, accepisse vulnus et vident periti, si diligenter phrases illas Communicationis Idiomaticum consideremus, admitti synecdochen. Sin autem adhuc dicatur: Perinde sicut in laceratione corporis dolor penetrat vsque ad animam, ita quasdam affectiones naturae humanae in Christo communicari diuinae et econtra. Huic respondeo ex sententia Cyrilli, animam hominis patiente corpore extra passionem quidem manere, quantum pertinet ad naturam, tamen non extra passionem esse intelligi, quia proprium ipsius corpus patitur.<sup>47</sup> Dolet quidem inter cruciatus corporis etiam anima, sed ea non est affectio vel impressio

<sup>45</sup> Joh 8,58.

<sup>46</sup> Gregor von Nazianz, Oratio XXX. Theologica quarta. De Filio 8, in: PG 36, 113 (FC 22, 238,9f).

<sup>47</sup> Vgl. Cyrill von Alexandrien, Epistula ad Nestorium de excommunicatione XII (Ep. 17), in: PG 77, 121 (ACO II/1, 42,3–5; DH 263).